

ultimæ Horæ, nisi sequatur Missa, vel Officium Defunctorum, vel Psalmi Pœnitentiales, aut Litanïæ, ut in propria Rubrica dicitur. » (Rubricæ generales, Tit. XIV, nn. 1 ad 4.)

Q. 56. *Quisnam est Ecclesiæ finis in dicendis Laudibus?*

R. Laudes sunt expressio summæ admirationis Dei, et jubili Ecclesiæ militantis et triumphantis; quæ exprimentur nascente die, quando aurora lucescit, eamque gallus cantu nuntiat. In Dominicis motiva laudandi Deum sunt: Creatio terræ (Ps. 92, *Dominus regnavit*); cognitio Dei Creatoris (Ps. 99, *Jubilate*); redemptio hominum e misera conditione expressa in Ps. 62, *Deus, Deus meus*; et gaudium ex redemptione facta (Ps. 66, *Deus misereatur*); unde invitatur ad laudandum Deum, in sequentibus Canticum *Benedicite*, et Psalmo 148, *Laudate*, omnes creaturæ in coelo et in terra, ac in Psalmis 149, *Cantate*, et 150, *Laudate*, Ecclesia triumphans Angelorum et Sanctorum. Tandem dicitur Canticum *Benedictus*, quocum Zacharias advenientem salutavit Salvatorem Orientem ex alto; ut in principio diei, oriente sole, Ecclesia laudet Dei misericordiam, quam per diem Deus abunde præstabit.

Iidem Psalmi Dominicæ recurrunt, tum in omnibus Feriis temporis Paschalis, tum in omnibus Festis Sanctorum; in quibus motivum laudis Dei est continuata victoria Salvatoris super peccatum et mortem, quam per Ipsius merita reportant Sancti.

Notandum remanet, quod Laudes quoad ordinem pares sunt Vesperis: in utrisque sunt Psalmi quinque, Capitulum, Hymnus, Canticum Evangelicum, Oratio. Sicuti mane et vespere a Judæis in altare thymiamatis incensum offerebatur, ita apud nos adolentur sacrificia incensi Matutinarum Laudum et Vespertinarum. Utriusque igitur Horæ cum par sit finis, convenit par ordo.

ARTICULUS III

DE PRIMA

Q. 57. *Sub quibus ritibus dicitur Prima?*

R. Dicitur « ad Primam, *Pater noster, Ave Maria, Credo,*

secreto; *Deus in adjutorium, etc.*, Hymnus *Jam lucis orto sidere*: deinde inchoatur Antiphona, quæ convenit. Sumuntur autem Antiphonæ in Festis ad omnes Horas ex Laudibus per ordinem, quarta prætermissa, » scilicet: ad Primam dicitur Antiphona Laudum prima; ad Tertiam, secunda; ad Sextam, tertia; ad Nonam, quinta; idem servatur in quibusdam Officiis de Tempore. « Postea dicuntur Psalmi, qui in Dominicis et Feriis dicuntur ut in Psalterio. In Festis autem, et tempore Paschali, tres tantum, ut etiam ibi adnotatur. »

NOTA. I. Primus Psalmus, qui quotidie in Prima dicitur, est 53, *Deus, in nomine tuo, etc.* Antiquitus post hunc Psalmum dicebantur in Dominicis sex alii Psalmi, quorum retentus fuit pro Officio Dominicæ Ps. 117, *Confitemini* (ob versiculum *Hæc est dies quam fecit Dominus*: innuit enim Resurrectionem Domini, quam dies Dominica commemorat.), reliqui quinque fuerunt distributi per Ferias in Officio Feriali, a secunda usque ad sextam Feriam inclusive (nullo addito in Officio Feriali Sabbati). Sequuntur tunc duæ primæ partes Psalmi 118, *Beati immaculati*, de quo dicitur in Quæstione sequenti. Dominicis diebus dein, quando Officium dicitur de Dominica, et etiam in Festo SS. Trinitatis, additur Symbolum *Quicumque*.

NOTA. II. Aureum hoc Symbolum et omni præconio commendandum, quod incipit verbo *Quicumque*, superscribitur in Breviario Romano: *Symbolum S. Athanasii*; non ideo tamen voluit Ecclesia pronuntiare opus hoc esse S. Athanasio († 373) adscribendum.

Duabus constat partibus, quarum prior est Confessio SS. Trinitatis, doctrinam Catholicam exhibens contra Arianos; opus est sæculi V vel VI, usitatum tunc temporis in Gallia Meridionali, vicina Arianis Visigothis Hispaniæ; altera pars doctrinam tradens de Mysterio Incarnationis, præcipue contra errores Nestorii et Eutychetis, opus est incerti temporis, sed probabilius VII sæculi.

Compositum fuisse videtur pro præparatione ad Baptismum; sæculo autem IX primum occurrit tamquam pars Officii divini, ad Primam Dominicæ præscriptum ab Haytone, Episcopo Basileensi († 836); et sæculo XI in pluribus Ecclesiis Galliarum reperitur non solum diebus Dominicis, sed et quotidie recitatum. Tardius fuit insertum in Breviario Romano.

« Post Antiphonam dicitur Capitulum *Regi sæculorum*. In feriali Officio extra tempus Paschale dicitur Capitulum *Pacem*, deinde Responsorium breve *Christe Fili Dei vivi, etc.* Post Responsorium breve in Officio Duplici, et infra Octavas, statim dicitur Oratio *Domine*

Deus omnipotens. In alio Officio dicitur *Kyrie eleison* cum reliquis Precibus : omnia ut in Psalterio. Ad Versum autem *Adjutorium*, Hebdomadarius signat se signo Crucis a fronte ad pectus. Quando aliquis solus recitat Officium, semel tantum dicit *Confiteor*, omissis illis verbis *Tibi pater*, vel *vobis fratres*, et *Te pater*, vel *vos fratres*, et similiter dicit *Misereatur nostri... peccatis nostris. perducatur nos*, quod etiam servatur ad Completorium. In feriali Officio, quando dictæ sunt Preces ad Laudes, adduntur aliæ Preces, ut ibidem in Psalterio. »

« Post Orationem Primæ, vel si dicatur Officium Beatæ Mariæ, post illius Orationem, dicto *Benedicamus*, in Choro legitur Martyrologium : deinde dicitur *Pretiosa* cum reliquis : quæ etiam dicantur ab iis, qui extra Chorum non legerint Martyrologium. In fine ad Absolutionem Capituli, in Festis et aliquibus diebus, pro Lectione brevi dicitur Capitulum Nonæ, si adsit proprium, alioquin de Communi : alio tempore, tam in Dominicis, quam Feriis, Lectio brevis Officio illius temporis in Psalterio assignata. » (Rubricæ generales, Tit. XV, nn. 1 ad 3.)

Q. 58. Unde Prima nomen habet, et quot constat hæc Hora canonica partibus ? Explica.

R. Prima denominatur a prima hora diei post ortum solis, quæ est nostra hora sexta matutina ; unde dicitur et est Oratio matutina Ecclesiæ.

Duabus constat partibus : prior pars, seu Prima proprie dicta, vocatur **Officium Chori**, quia in Choro ecclesiæ recitabatur ; hæc per Orationem *Domine Deus omnipotens, etc.* absolvitur. Quæ hanc Orationem sequuntur sunt altera pars, quæ dicitur **Officium Capituli** ; quia recitabatur in Capitulo ubi tunc conventus habebatur. Capitulum locus erat claustro contiguus, plerumque versus orientalem plagam ; dicebatur Capitulum, quia ibi inter alia Capitulum Regulæ perlegebatur, quæ res nomen dedit ipsi conventui Monachorum aut Canoniorum.

1° **Officium Chori**, seu Prima proprie dicta, quoad ordinem eodem modo componitur (si excipias numerum Psalmorum in Dominicis et Feriis) quo sequentes Horæ

minores Tertia, Sexta et Nona. — In ea incipit, qui congruenter valde per quatuor minores Horas distribuitur in undecim partibus, quarum singulæ constant duobus octonariis, Psalmus 118, *Beati immaculati in via* ; continet enim iste sub diversissimis formis propositum sequendi divina mandata : amor vero et exercitatio mandatorum Dei est obligatio nostra ad singulas horas et ad singula momenta diei.

Quia vero Prima tamquam Oratio matutina habetur, ejus, qua absolvitur, Oratio ei propria est, et per totum annum quotidie eadem recitatur : continet autem hæc in compendiosa sua brevitate omnes conditiones bonæ Orationis matutinæ ; scilicet : ante omnia exprimitur gratiarum actio pro beneficio diei novæ a Deo accepto : *Domine... qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti* ; dein supplicatio divini auxilii pro recto usu diei concessæ : *tua nos hodie salva virtute* ; tandem propositum cum auxilio gratiæ divinæ peccatum vitandi, et omnes facultates animæ et corporis ad exercitium justitiæ et virtutis consecrandi : *ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera.*

Quod officium Chori, seu Prima proprie dicta, terminetur Oratione *Domine Deus*, etiam hodie patet ex speciali Rubrica quæ in Psalterio ponitur immediate post hanc Orationem, scilicet : « Deinde in choro legitur Martyrologium. Et quando dicenda est Prima de beata Maria, præponitur lectioni Martyrologii. » Rubrica igitur statuit, quod prædictæ Orationi statim subnectitur Prima beatæ Mariæ, illis diebus in quibus præter Officium præcipuum diei etiam recitari debebat antiquitus Officium parvum B. Mariæ V. ; verum nunquam in usu est, interponere Officium Officio, sed tantum post terminatam Horam dicitur respectiva Hora parvi Officii ; ergo ex hac Rubrica merito concluditur Primam hic terminari pro ea parte quæ in Choro antiquitus recitabatur.

2° **Officium Capituli**, dictum in Capitulo ad quod e Choro se conferebant bini et bini Monachi, tribus constat partibus :

1° Legitur Martyrologium, seu annuntiantur Sancti,

quorum Festa crastino die celebrantur, et sub ejus lectionis finem dicitur *¶ Pretiosa*. Sequebatur antiquitus Oratio: *Ipsi et omnes Sancti, etc.*; ut autem major veneratio exhiberetur B. Virgini Mariæ, jam inde a sæculo undecimo, primo loco eam in Officio appellari visum fuit, et prædictæ Orationi adjectum fuit: *Sancta Maria et omnes Sancti, etc.* — Ideo autem voluit Ecclesia singulis diebus legi Martyrologium, ut Sanctorum actus imitemur, quorum exempla admiramur.

2° Succedebat operis distributio singulis quibusque Monachis. Sub ea recitabant preces, quæ incipiunt a *¶ Deus in adjutorium, etc.* ter repetito, ut in nomine SS. Trinitatis armemur contra diabolium, mundum et carnem, et desinunt ad orationem *Dirigere*; istis precibus auxilium divinum et pura intentio in omnibus cogitationibus, verbis et operibus petuntur.

3° Ad Absolutionem seu finem Officii Capituli legebatur et exponebatur Capitulum Regulæ Ordinis. Huic lectioni substituta fuit in Breviario Romano *Lectio brevis*, a lectore dicenda consueto Lectionum ritu. Quo facto terminabatur congregatio benedictione a Præposito data: Præpositus primum fatetur quod omne adjutorium nostrum sit in nomine Domini; deinde per invitationem *Benedicite*, exprimit omnium votum pro impetratione benedictionis divinæ; vel, omnes excitat ut Domino benedicant. Chorus huic invitationi respondet *Deus*, id est, « Deus benedicat »; quo dicto, Præpositus dat omnibus, dum Cruce se signant, benedictionem; simulque requiem defunctis adprecatur.

Hæc defunctorum in fine Primæ commemoratio vestigium est antiquissimæ consuetudinis, juxta quam in Capitulo post Martyrologium legebatur *Necrologium*, eorum videlicet nomina defunctorum fratrum, amicorum, benefactorum, insigniorumque virorum, qui de Ecclesia bene meriti erant; horum nomina primum in Dyptichis, deinde in Codice quem *Necrologium* vocabant, pro eorum commemoratione facienda inscripta erant.

ARTICULUS IV

DE TERTIA, SEXTA ET NONA

Q. 59. *Quomodo recitantur Horæ parvæ Tertia, Sexta et Nona?*

R. « Ad Tertiam, Sextam, et Nonam, ante singulas Horas dicitur *Pater noster, Ave Maria, Deus in adjutorium*, Hymnus, et Psalmi, ut in Psalterio: Antiphonæ secundum Officii qualitatem; » in Festis sumitur ex Laudibus secunda Antiphona ad Tertiam, tertia ad Sextam, quinta ad Nonam; in reliquis Officiis Antiphonæ propriæ indicantur in Breviario. « Dictis Psalmis et Antiphona, dicitur Capitulum et Responsorium breve pro qualitate Officii: quæ in Dominicis, et Feriis, quando non habentur propria in Proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio: in Festis, si in Proprio Sanctorum non sint propria, sumuntur de Communi. Post Responsorium breve dicitur *Dominus vobiscum*, et Oratio, quæ habetur in Proprio de Tempore: si autem fit de Sancto, ut in Proprio Sanctorum: alioquin ut in Communi. »

« Post Orationem repetitur *Dominus vobiscum*, et dicitur *Benedicamus Domino, Fidelium animæ*, et *Pater noster*, secreto, ut in Rubrica de Oratione Dominica explicatur. » (Rubricæ generales. Tit. XVI, nn. 1, 2.)

Q. 60. *Expone quos fines Ecclesia in his Horis præcipue intendit.*

R. Prænotato, quod Horæ istæ, dictæ parvæ, sunt omnium brevissimæ, eo quod dicendæ veniant eo tempore, quod principaliter occupationibus diurnis destinatur, respondetur, quod Ecclesia intendit per istas Horas proponere acquisitionem virtutum præcipuarum, quæ objectum sunt et finis mandatorum Dei (quorum laus est in Psalmo 118, qui per Horas dicitur), scilicet 1° amoris Dei; 2° amoris proximi, insimul et 3° perseverantiæ usque ad felicem terminum.

1° Amor Dei intenditur in Hora Tertia, quæ supponitur dici nostra hora nona in mane. Etenim Hymnus qui quotidie dicitur: *Nunc sancte nobis Spiritus*, et in

Octava Pentecostes : *Veni, Creator Spiritus*, est Oratio ad Spiritum sanctum, ut super orantes descendere, et in eis ignem sancti amoris et zeli accendere dignetur : *Flammescat igne charitas, accendat ardor proximos*. Ideo vero sanctus Spiritus in Tertia præcipue invocatur, quia hac hora super Apostolos descendit.

Fructus præcipuus sancti Spiritus, amor scilicet Dei, iterum exprimitur in Capitulo, in Officio Dominicæ communis, quod est : *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*. (I Joan. IV, 16.)

2° Amor proximi intenditur in Hora Sexta, in meridie seu medio diei recitata. Etenim Hymnus hujus Horæ supplicat pro pace et concordia hominum inter se : *Exstingue flammam litium... Confer... veram pacem cordium*. In Capitulo vero Officii Dominicæ communis proponitur, quid pro acquisitione supplicatæ pacis et concordiæ necessarium sit : *Alter alterius onera portate, et sic adimpletis legem Christi*. (Gal. VI, 2.)

3° Finis Horæ Nonæ, quæ supponitur dici in nostra decima quinta, seu tertia hora post meridiem, est impetratio perseverantiæ ; ut, sicuti attingitur terminus diei, ita et attingi possit felix terminus æternæ beatitudinis : *Largire lumen vespere, quo vita nusquam decadat ; sed præmium mortis sacræ perennis instet gloria*. In Capitulo Officii per annum celebratur nostra cum Christo Domino unio, cujus meritis acquirere possumus æternam beatitudinem : *Empti enim estis pretio magno ; deinde exprimitur etiam medium perseverantiæ et beatitudinis acquirendæ : glorificate et portate Deum in corpore vestro* (I Cor. VI, 20) : etenim imitando Christum per perfectum amorem Dei et proximi, adimplemus obligationem non solum singulæ diei, sed et totius vitæ, et præparamus nostram glorificationem in cælo.

ARTICULUS V

DE VESPERIS

Q. 61. Quo ritu dicuntur Vesperæ ?

R. Dicitur « ad Vesperas, *Pater noster, Ave Maria, Deus in adjutorium, etc.* Deinde dicuntur quinque Psalmi

cum quinque Antiphonis, ut in Proprio, aut Communi Sanctorum signantur. In Dominicis autem, et Feriis, Antiphonæ et Psalmi semper dicuntur ut in Psalterio (ubi etiam tempore Paschali Psalmi dicuntur sub una Antiphona *Alleluja*), nisi aliæ propriæ Antiphonæ vel Psalmi (ut in Dominicis Adventus, et triduo ante Pascha) assignentur. »

« Post Psalmos et Antiphonas dicitur Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphona ad *Magnificat* cum eodem Cantico ; et Oratio ; omnia de Tempore, vel de Sancto, pro qualitate Officii. »

« Preces, quando dicendæ sunt, dicuntur ante Orationem ; Commemorationes vero de Cruce, S. Maria, S. Joseph, Apostolis, Patrono, et Pace, post Orationem, ut in propriis Rubricis habetur. Terminatur autem Officium Vesperarum, ut in aliis Horis. » (Rubricæ generales, Tit. XVII, nn. 1 ad 3.)

Q. 62. Quibus nominibus insignita fuit Hora canonica Vesperarum ; quis est Ecclesiæ in ea dicenda finis ; quod fuit antiquitus, et quod est hodie tempus ejus recitationis ?

R. I. Variis nominibus reperitur hæc Hora inscripta : **Lucernarium, Hora lucernaria**, quia sero, et accensis cereis seu lucernis ad pellendas tenebras, recitabatur ; — **Eucharistia** vocatur in regulis S. Basilii, eo quod ad referendas pro beneficiis a Deo per diem acceptis gratias instituta præsertim fuit ; — **Hora duodecima** dicitur in quibusdam regulis, ob hora diei artificialis postrema, qua recitabatur ; — **Vesperæ** potissimum dicta fuit, a sidere quod Vesper vocatur, et decidente sole exoritur.

II. Vesperæ sunt officium gratiarum actionis Deo, pro beneficiis ab Ipso per diem acceptis. Vesperarum officium semper fuit habitum tamquam omnium diei Horarum solemnissimum, respondetque vespertino sacrificio incensi seu thymiamatis, quod Deus a Judæis fieri volebat. In eo dicitur, quod nobilitate magis præstat inter tria Cantica evangelica, *Magnificat*, quo B. Maria celebravit adimpletam promissionem Redemptoris (quem advenientem tantum celebraverat Zacharias Cantico Laudum Matutinarum *Benedictus*), et Ecclesia laudat Dei misericordiam abunde per diem præstitam.

Las vespers comienzan cuando el sol está en el punto medio entre el mediodía y el ocaso.

Olim regulariter benedictio post Vesperas dabatur, quod et hodie servatur ab Episcopo cum Vesperas ipse peragit, aut Vesperis interest.

III. Supra (in responso ad Q. 20) jam breviter notatum fuit, Vesperas primitus non fuisse Horam distinctam; erant initium quasi Vigiliæ nocturnæ, et speciatim ejus Vigiliæ quæ Sabbatum inter et Dominicam celebrabatur, et cujus prima pars vespere, secunda ad gallicantum, tertia ad solis ortum agebatur.

Tamquam Hora a Matutino distincta reperiuntur Vesperæ sæculo VI in quibusdam ecclesiis Hispaniæ et Galliarum, et apud monachos.

Romæ prioribus sæculis Officium Vesperarum erat privati usus pro fidelibus, et publice persolvendum notatur sæculo VIII tantum, a monachis in Basilica Vaticana; inde computatur ut Hora canonica distincta, et quidem inter præcipuas.

Primitus dicebantur vespere, scilicet, sole recedente, seu ultima diei artificialis hora labente; instituto autem postea Completorio, ad horam diei undecimam, et temporum decursu, adhuc citius anticipatæ fuerunt.

IV. Hodie Vesperæ in Choro cantantur circa nostram horam decimam quintam, seu tertiam post meridiem; in privata recitatione vero dici possunt a meridie usque ad mediam noctem.

NOTA. Relative ad horam Vesperarum in Choro describere placet sequens S. Rituum Congregationis Decretum: « Exposuit Cathedrale Capitulum Vincentium vertente anno 1873 legitime congregatum edixisse ut in propria Ecclesia Vesperæ diebus ferialibus quocumque anni tempore, excepta Quadragesima, persolverentur una post meridiem hora cum tribus quadrantibus. Verum post aliquod tempus nonnullis ex prædictis Canonicis dubium occurrit an innovatio esset conformis spiritui Ecclesiæ; ac apud Episcopum institerunt, ut antiqua praxis redintegraretur. Ipse vero statuit ad S. Rituum Congregationem recurrere; ac ab eadem humiliter exquisivit quid de facta innovatione esset censendum. » S. Congregatio rescribendum censuit: « Innovationem esse improbandam. Atque ita declaravit. » (Decret. 2 Aprilis 1875, n. 3340, antiq. 5593.)

In Officio Feriæ IV Cinerum notatur sequens Rubrica specialis: « Hodie, et duobus sequentibus diebus, dicuntur Vesperæ hora consueta. Sabbato vero et dein-

ceps usque ad Pascha dicuntur ante comestionem, tam in Festis quam in Feriis, exceptis Dominicis in quibus dicuntur hora consueta. » — Hæc Rubrica memoria est antiquæ disciplinæ, juxta quam prioribus sæculis quadragesimale jejunium non solvebatur nisi post Vesperas, sole ad occasum vergente; sæculo autem decimo quarto anticipata fuit comestio ad meridiem, et ut moris antiqui vestigium aliquod remaneret, invectus etiam exstitit semperque retentus mos anticipandi in Quadragesima Vesperas ante prandium. Hoc autem fit solum a Sabbato ante Dominicam I in Quadragesima, quia ante sæculum nonum Quadragesima ab hac Dominica tantum initum ducebat.

NOTA. I. Quando Vesperæ in aliqua Ecclesia, ubi non adest Chori obligatio, tempore Quadragesimæ, infra hebdomadam in aliquo Festo cum apparatu externo persolvuntur, seu cantantur, ibi etiam observari debet hæc Rubrica de Vesperis ante comestionem dicendis. Etenim ad dubium: « In Ecclesiis parochialibus ubi non adest Chori obligatio, tempore Quadragesimali, in Festo S. Joseph vel aliorum Sanctorum possuntne cantari Vesperæ post comestionem, seu post meridiem ad populi devotionem fovendam? » S. Rituum Congregatio rescripsit: « Negative. » (Decret. 29 Aprilis 1887, n. 3675, antiq. 5983, ad 2.)

NOTA. II. S. Rituum Congregatio declaravit quod in aliquo Festo intra Quadragesimam occurrente licet, ubi non existit obligatio Chori, cantare statim post Missam Vesperas Festivitatibus. (Decret. 18 Maji 1883, n. 3574, antiq. 5871. Dub. II.) Prefecto supponit S. Congregatio hanc Missam celebratam hora convenienti. — In Ecclesiis Choralibus, ubi communiter tertia incipitur circa horam nostram nonam, Vesperæ dicuntur circa decimam.

NOTA. III. Hæc Rubrica specialis de Vesperis ante comestionem dicendis sine dubio obligat pro Choro; obligat etiam in quacumque Ecclesia ubi Vesperæ cantantur in aliquo Festo. Pro recitatione privata nulla exstat lex, nisi dicas sufficere legem Rubricæ non distinguentis. — Multi auctores dicunt hujus Rubricæ observationem pro recitatione privata non esse de præcepto, sed laudabile esse, convenire, pro majori conformitate eam observare.

Q. 63. Unde habentur, et quomodo distinguuntur Vesperæ primæ et secundæ?

R. I. Ad imitationem Judæorum qui Festorum initium ducebant a vespere (*a vespera usque ad vesperam*), Ecclesia Festa sua a vespere diei præcedentis incipit,

et omnibus Festis novem lectionum duas tribuit Vesperas, primas et secundas.

Duas Vesperas ejusdem Officii peragere antiquitus in usu non erat, et vetus Officium Romanum solum indicat Vesperas ad initium Officii. Micrologus (sæculo XI) duas Vesperas admittere videtur; sed potius dicendum est Vesperas secundas fuisse introductas ad finem sæculi XII, occasione reformationis Officii divini tempore Innocentii III († 1216).

II. Primæ Vesperæ juxta mentem Ecclesiæ solemnus peraguntur; secundæ vero minus nobiles et solennes censentur; quare admittuntur in secundis quandoque nonnullæ Commemorationes, quæ a primis abiguntur.

Notari potest hac super re dispositio Cæremonialis Episcoporum, cujus Rubrica maximam solemnitatem requirit pro Vesperis celebratis in Vigiliis plurium majorum Festorum per annum quæ enumerat; imo præscribit Episcopo ut ipse primas Vesperas celebret, si erit Missam solemniter sequenti die celebraturus; dum pro secundis Vesperis dicit, posse ipsas etiam per Episcopum eadem solemnitate celebrari, saltem in Dominica Resurrectionis, in die Nativitatis Domini, in Festo Sancti Titularis Ecclesiæ vel Patroni Civitatis. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. I, nn. 2, 3.)

ARTICULUS VI

DE COMPLETORIO

Q. 64. *Describe ritum Completorii.*

R. « Ad Completorium absolute dicitur Lectio brevis, ut in Psalterio: deinde *Pater noster, Confiteor, Misereatur, Indulgentiam, Convertè, Deus in adjutorium*, Antiphona, Psalmi, Hymnus, Capitulum, Responsorium breve, Canticum cum Antiphona; omnia ut in fine Psalterii; et post Antiphonam in Duplicibus et infra Octavas dicitur Oratio; in alio autem Officio ante Orationem dicitur *Kyrie eleison*, cum reliquis precibus, ut ibidem in Psalterio. »

« Post Versum *Benedicat et custodiat nos, etc.* dicitur una ex Antiphonis beatæ Mariæ, cum Versiculo et Oratione, ut ibidem: et dicto Versu *Divinum auxilium*, di-

citur secreto *Pater noster, Ave Maria et Credo.* » (Rubricæ generales, Tit. XVIII, nn. 1, 2.)

Q. 65. *Explica nomen Completorii, et indica hujus Horæ partes.*

R. I. Completorium sic dicitur, quia in eo completur divinum Officium, ultima diei hora ante finem crepusculi vespertini; erat olim oratio vespertina monachorum, quam persolvebant dum e refectorio ad dormitorium pergebant, et in ipso dormitorio terminabant; a sæculo VIII obtinuit usus dicendi Completorium in Choro vel in Capitulo.

II. Tres in eo distinguuntur partes.

1^o Quædam Completorium proprie dictum præcedebant; etenim, dato signo, monachi omnes conveniebant ad Capitulum, ubi a Lectore ritu consueto instituebatur Lectio spiritualis ad ædificationem audientium. Pro hac lectione inserta fuit in Breviario Lectio brevis ex Epistola S. Petri.

Finita lectione omnes pergebant ad Chorum, ubi mox instituebatur examen conscientie et Confessio peccatorum.

2^o Post peccatorum Confessionem, sub consueto Horarum initio: *Deus in adjutorium*, rejecto Hymno post Psalmos, dicuntur Completorii Psalmi, et quæ sequuntur, usque ad Canticum Simeonis inclusive, quod Canticum olim Orationis seu Collectæ locum tenebat. — His diversis precibus exprimuntur petitio divini auxilii, ut Deus dignetur a nobis omnia mala avertere; fiducia in divina misericordia; et commendatio divinæ providentiæ.

3^o Ultima pars, seu Oratio *Visita quæsumus* (quæ composita non videtur ut in ecclesia dicatur), recitabatur cum monachi post Completorium jam e Choro recesserant ad dormitorium, dum fiebat aspersio aquæ benedictæ; ea dicta, dabatur monachis benedictio, et tandem implorabatur auxilium B. Mariæ V., cujus instituti ratio data fuit Q. 47.